iis acquiescere non possum, ipsorumque attestata humillimo animi mei obsequio prosequens, pro meæ conclusionis comprobatione veritatis clypeo munitus, & hastam mutuatus à Pallade in litterariam Palæstram iterùm descendo, & priùsquam pugnam aggrediar, certaminis statum, & pactum statuendum esse arbitror, & est, quòd nostra *Quæstio non procedit in examinando, utrùm China conveniat in curatione Phthisis, & Hecticæ febris*, sed quærit, utrum *Chinæ usus*. A *conveniens erat Nobilissimo Adolescenti Iosepho Ignatio Olivieri tabida passione oppresso, calidioris temperamenti, gracilioris habitus*, cum concomitantibus symptomatibus in superiori consultatione recensitis: *nàm maximum intercedit discrimen inter Universale, & Particulare, & cùm Auctorum monumenta*. B. *circa Universalia versentur*, Medicus Rationalis morborum individuali curationi assistens,

ſtens, ità ſe gerere debet, ut *Indicantibus*, *Contra indicantibus*, *permittentibus*, & *probibentibus* æqua lance ponderatis, permittenda admittat, & reſpuenda ableget; *differt nàmque Morbus à Morbo*. C. *ætas ab ætate*, *temperamentum à temperamento*, & *bomo ab homine*. Quià ergò hoc tale remedium juvit Petro Hectico, juvabit etiam Titio paritèr Hectico, ſed in diversà ætate, & diverſo temperamento conſtituto? Sic faciunt Empirici. Novum fortaſsè eſt in Medicina; quòd quod uni eſt remedium, alteri eſt venenum? His tanquam fundamentis jactis, & ſuppoſitis, modò ad *ZECCHII* auctoritates, quas tanti facis pro tui aſſerti comprobatione, me convertendo, dico, illas potiùs *meæ*. D. *favere opinioni*; ſiquidèm in Conſultatione habita pro *Illuſtriſſimo Equite Io: Stephano Setiro*, cauſa deſtillationis in partes ſpiritales refunditur ab Auctore in Cerebri
vi-

vitiatam coctionem ob frigidum, & humidum illius temperamentum, cujus culpa ad Antiquiorum mentem crudioris ſucci, catarrhalis dicti, continuus fiebat proventus, qui ſi in Cerebri meningibus primam ſedem firmabat, capitis dolorem pungitivum producebat; ſi metaſtaſi facta à meningibus ad Cerebri ventriculos (in quibus falsò crediderunt, ſpiritus animales elaborari, cùm verè nihil aliud ſint, quàm Cerebri excrementorum receptacula) ab his per Infundibulum, & Glandulam Pituitariam in fauces decumberet, raucedinem; ſi in pectus, tuſſim, Phthiſim, ſpirandi difficultatem, & alia ſexcenta mala excitabat: qua deſtillationis cauſa ſuppoſita, congruentèr *Clariſſimus* ZECCHIUS indicationes elicit exiccandi ſeroſam colluviem, & ut id aſſequatur, totam curationem perficit calidis, & ſiccis, *& Chinæ Decoctum cum Salſa, & Saſſaphraſio proponit*
pro

pro exiccatione humidiorum ſuccorum . In noſtro caſu contrariæ vigent Indicationes , ut in ſuperiori ſatis abbundè, & ad evidentiam probatum eſt ; undè quàm appoſitè à citato Auctore præſcribitur China pro curatione Equitis Setiri, eò incongruentiùs præſcripta cenſenda eſt pro curatione Dn. Ioſephi Ignatii Olivieri. Pari paſſu procedunt alia loca citata ejuſdem Auctoris , & præſertim in Curatione ſanguinei ſputi *in Illuſtriſſima D. Poliſena Silveſtri de Montalto*, cujus cauſam prælaudatus vir refundit in Pulmonum, eorumquè vaſorum laxiorem , molliorémque ſubſtantiam ob continuam ferè à capite in ſubiectas partes deſtillationem , *neutiquàm tamen acrem* . E. *& ſalſam*, a procedentem à frigida, & humida Cerebri intemperie ,

pro

---

a *Nota, & intellige ſenſum*.

pro qua indicabantur calida , & ſicca , & ob id Chinæ decoctum rationabili Methodo præſcribitur. In *Magnifica D. Lavinia de Ciccolinis* ſupponebat Auctor citatus craſſiorum , viſcidorumque ſuccorum præſentiam , quos ut attenuaret , Chinæ decoctum proponebat . Doctrina *RIVERII*. F. *eſt Univerſalis* (quam Medicus curans non indiſcriminatim omnibus tabo laborantibus accommodare debet) ſicuti & aliorum à te citatorum , nàm juxta *Philoſophum*. G. *non omnibus omnia conveniunt , nec quodlibet agit in quolibet , ſed determinatum in indeterminatum*. Quoties *IOAN. FORTES*. H. *in ſuis Conſultationibus Chinæ vſum præſcribit* , ſemper ſupponit , vel fluxionum exiccationem , vel capitis humidioris corroborationem , vel promotionem ſudoris ; nulla ex his in caſu noſtro , immò contraria indicantur , ergò &c. Nunquàm

fa-

ſatis laudatus *DOLÆVS ò quàm benè*. I. *meam firmat concluſionem, Chinæ radicem inter Diaphoretica reponens*, quorum uſum ſatis concludentèr reprobavimus in ſuperiori Conſultatione, & in loco à te citato videre poteris. *Sal volatile balſamicum*. K. *quod verè in China continetur*, nimis depreſſa fermenta exaltare habet; undè in iis ſummè conveniens eſt, in quibus ſeroſa redundante colluvie viſcerum fermenta depreſſa, ac ferè ſepulta, & activa principia diſſociata exaltari, & volatilizari indicant; ſicuti quàm maximò noceret, ubi illa nimis exaltata, & iſta ſupra naturam activa nimis vigent. Et ſic cariſſime mi, tela jactaſti incaſſum, & apertè vides, à te citatos Auctores meam firmare ſententiam, tuamque deſtruere, teque interim tuo proprio vulneraſti gladio.

Ad tantorum Illuſtrium Archia-

chiatrorum testimonium, quorum oracula veneror, præ reverentia altercari non audeo; hoc unum adeo, quòd si me audirent, fortassè in contrariam abirēt sententiam. Cæterùm non hujusmodi Epistolam à te expectabam, sed philosophico stilo concinnatam, & si ulteriùs respondere volueris, talem expecto, *non aliorum Medicorum.* L. *testimonio comprobatam, non Auctorum monumentis* fulcitam, sed *Ratione*; M. *Argumentis*, & philosophandi modo.

Hæc pauca raptim, & currenti calamo dictabam in stricta temporis angustia in responsionem Epistolæ à te mihi heri transmisse, quem precor, ut brevioris temporis intervallo, si ità placuerit, ambabus meis epistolis gratum responsum dare, nè dedigneris.

Dat. in Gruptis ad Mare, Pridie Nonàs Iuliàs, 1697.

Domin. Tuæ Perillustris, admodumque Excellentis

Addictissimus Famulus

P.P. Po-

Poſtremæ hujus Epiſtolæ apographum idiochiron mihi reddendum curavit idem Dominus P. occulta ſibi ratione, quapropter integrum mihi fuit, ità reſcribere.

PRO-

PROLVSIO VI.

Veritatis Criterium, in quo Dn. P. rationes cunctæ perlustrantur, & Auctoris reclamationes exhibentur.

Perilluſtri, admodumq; Reverend., & Excellenti Domino P. P.
Salutem.

Excellens Domine

QUam ad me dediſti Medicam elucubrationem, Dilectiſſime Domine, eam perlibentèr accepi, eòque maximè honoris id mihi duplex cauſa fuit, & quòd conſultatoriæ contentionis tuæ conſcius in parte ſum, & quòd Dn. *Simon Andreani* familiaris noſter tuo mihi nomine retulit, meam ea in re ſententiam dicendam apprimè deſiderari. Inofficioſus eſ-

ſem

ſem, ſi tuis reluctarer mandatis, quapropter, ſic te jubente, licèt invitus in arenam proſilio, neque enim ulla mihi certaminis occaſio, nequè cupiditas, niſi aut ſtudioſæ exercitationis gratia tibi inſervire ſit animus, aut pro veritatis juribus firmandis duobus athleticè dimicantibus tertius Pugil intercedam. Multum autèm ingenii, ac roboris expetitur ad componendam utriuſque Iatro-Iſopali controverſiam, quandòquidèm

Ut roſa ſtat ſpinis, ſic dulcor
conſtat amaris,
Sic ſudore pio virtus, doctrina
labore:

Equidèm verò Paridis judicium ferre, aut Apollinis ſententiam dicere vix ſatis, imò impar, quicquid tamèn ſentiam palàm aperire non gravabor,

Eſt aliquid prodire tenùs, ſi
non datur ultrà,

Cecinit *Venuſinus* cycnus; ſed priùs in mentem revocandum

Divi

Divi Hieronymi clarissimum illud apophthegma, *Qui animum ad scribendum applicat, tot sibi Iudices contra se assumit, quot lectores*, ut nos commovere nec possit, nec debeat aliorum contradictio, cùm fas sit cunctis sua sibi consciscere placita. Hisce prælibatis iàm dissertationem aggredior, congressum ineo, dissidium pro viribus diremptururus, præterquàm quòd

—— Tentanda via est, quo me quoquè possim
Tollere humo, Victorque Virum volitare per ora.

§. I.

Nobilissimi Adolescentis Iosephi Ignatii Oliverii Petritulani ingravescens Tabes cum omnibus profusè in tua, & Domini *Caroli Ant. Maximi* consultatione relatis symptomatibus curationis scopum eò direxit, ut assistens Medicus inter cœtera præscripse-

rit *Ius Radicis Chinæ*, quod ex ſuppoſito reprobatum, anſam dedit probationi ejus convenientiæ, quam tu refractariolo oppugnaſti calamo, propriamque firmaturus ſententiam hanc theſim poſuiſti, *An Chinæ Ius, & uſus* . B. *in caſu conveniat*, & curativas indicationes explere valeat; in ſcholio verò proximæ elucubrationis addidiſti, *An in præcitato Adoleſcente Hectico-Tabido, temperiei calidæ, habituſque gracilis, &c.* a. *Chinæ uſus congruus eſſet*, idque forſan ideò appoſitum, ut declinares jacula, quibus te confodi in primo quæſtionis titulo, utpotè nimis univerſali, intelligebas. In hiſce igitur difficultatum cimmeriis tenebris Veritatis lumen perquirendum duce Methodo Analytica, per quam ejuſmodi ordinem diſponam, ut priùs quàm tua concutiam fundamenta, & argumenta refellam, meis faveam rationibus, novumque conſtruam ædi-

ædificium : quòd si hoc assequi minùs tutum fuerit, alicrum explanationem mea ad asserta libenti animo excipiam.

§. II.

Novum in Medicina non est, *Chinæ radicem*. K. *ab Orientalibus pariter, ac Occidentalibus* nobis advehi regionibus, primique generis apud Sinenses, secundi apud novos Hyspanos, atquè Perù adnasci. Exoticæ hujus plantæ vires Antiquis, & Recentioribus cognitæ fuerunt, quorum simùl non pauci ex Classicis, licèt in activis temperatam illam constituant, potior tamen pars eam *leniter calefacere* autumat; quod si per ly *leniter* primus caloris gradus intelligendus veniat, non inficior; in passivis autèm *siccitatis secundum illam obtinere gradum apud omnes* in confesso est. Prætereà insigne hoc Vegetabile *subadstringentem* possidere qualitatem, *Aromaticum* Gas, *Diaphoreticamque vim, in volatili,*

 oleo.

oleosoque sale consistentem, Neotericorum schola confirmat. Quid multa? Alter *Vesalius* integrum de ea conficerem libellum, hicque in molem summam excresceret, si ulteriùs ratiocinari, vel Auctorum copiam vellem adamussim rependere, instar omnium sit unus *ETTMVLLERUS*, clarissimus ille Germanus, qui ejus dotes præclarè compilavit. Id igitur pro constituto habeatur.

§. III.

Perpendendum modò, *an ejusdem usus proficuus æquè, ac tutus in Tabe* debeat admitti, potissimùm verò *in nostro Patiente*. a. *gracili, & sicco calore complexo* (notantèr hic præscindo ab errore quovis in modo, ordine, ac tempore, siquidèm commisso, non enim ab instituta quæstione recedere, animus est) cùmque id remedii genus Indicati indolem sapiat, eliciamus quæso indicationes à Morbo, Causis, & Sympto-

ma-

matibus, quatenùs rationem habent &c. cùm hæc tria verè Indicantia præter naturam ſint, Res verò Naturales, & non Naturales ſolùm Coindicantibus, aut Correpugnantibus *ſecundariò* aſſocientur; ſicuti contrarius Morbus, aut Cauſa ſimultate actus in eodem ſubjecto Contraindicantis vicem gerit. Vitalis verò Indicantis, cùm hic præcisè nulla occurrat conſideratio, nihil de eo diſſerendum exiſtimo.

§. IV.

Verùm enim verò Morbum, quo ſpectatus Adoleſcens conflictatur, clara Hypotheſi *Phthiſim* eſſe aſtruis, cujus tamèn eſſentia in Pulmonum ulcere ſita eſt.

§. V.

Cauſam antecedentem ſtatuis varias ſalium differentias, quæ invicem occurrentia multifarias in humoribus excitant efferveſcentias, ex quibus ſolutiones, & coagulationes ſuppetunt: hinc pro Coniuncta culpas fuſos liquo-

res in pneumonicos ductus irrumpentes, qui Diabrotica facultate donati, dùm coagmentantur, locali, nè dùm intestino privantur motu, cui vix restituuntur, ni pressione reliqui sanguinis impellantur; mora autèm facta Pulmonum, eorumque tubulorum substantiam abradere potis sunt, aut vasorum tunicas divellendo, spatiumque nimis replendo rhiximaccersunt.

Rem ità se habere, non contendo, illud unum adiiciam, salsuginosa recrementa in nostro D. cumulata ortum debere non minùs bili acri, & inflammabili juxta Patientis constitutionem, quàm succo Pancreatico accidiore effecto, undè illa minùs castigata, imò magis effera reddita, ex utriusque congressu juxtà *SILVII* doctrinam à *TACHENIO* mutuatam resultat sal tertium acido-acre, quod alibilibus succis immixtum ad instàr aquæ regiæ eos corrodit, discindit, compagem

gem laxat : quapropter lymphaticus liquor multus, & salsus quoquè redditur, qui à glandulis conglomeratis sive in laryngem, sive in spiritalia membra eructatus exposita phœnomena præsefert ; nèc mirùm, sal enim ex Hermeticis principiis suam non exerit efficaciam, nisi solutum, undè colligitur Æthiologia non modò serosæ colluviei, verùm etiam ejusdem rodentis salsedinis à causa, ùt aiunt, calida. Hinc obitèr etiam deducitur, *PAVLI BARBETTE* sententiam de Phthisi veritati magis consonam existere, dùm vult, in Chylificationis Officina, maximè Duodeno, morbi hujus fabrefieri primordia.

Qui malunt, causam tabis proximiorem esse salia acido-volatilia, ulteriori forsan salium acido-acrium supradictorum sublimatione, effervescentia, & elaboratione exaltata, & multiplicata, me diffidentem non habent ; siquidem illa apertè expli-

cat affectus hujus *contagium*, quod ſicuti in genere, ſic in ſpecie nil aliud eſt, quàm miaſma, ſive effluvium morboſum, & communicabile naturæ ſalinæ acido-volatilis, multum fermentativæ, corroſivæ, & activiſſimæ ſubjectatæ in exili materia, vel dicam corpuſculis, & atomis vaporoſiſſimis, lentore tamèn, ac tenacitate volatiles partes implicantibus, ni potiùs dicendum ſit, lentorem hujuſmodi ad miaſmatis tantum conſervationem conferre (hinc viſcidiora copioſius dant ſal volatile) non autem ad ejuſdem communicationem, ſeu tranſlationem, cum ad hanc efficiendam ſufficiat ſalium leptomeria; qua mediante miaſma quodlibet aptum natum eſt anguſtiſſimos quoſque corporis alicujus poros penetrare, iiſdemque hærere, ut vix poſſit propter incuneationem removeri, abſque eo, quòd gluten aliquod figens concurrat ex parte ſaltem ipſius propagandi miaſ-

miaſmatis, niſi ad faciliorem, promptioremque receptionem in paſſo illud idem effingatur. Quod in Recentiorum gratiam dictum ſufficiat.

§. VI.

Hectico Putridam febrim ſuam trahere confirmas originem à ſcoriis putridis cordi, ſanguinique infuſis, quæ aſſociari huic non valentes, continentem inducunt, quàmvis levem fermentationem, & efferveſcentiam, per quam ſecedentibus partibus fluxibilioribus (quicquid ſit de tua æthiologia) craſſities quædam cruori ſuperadditur, quæ poſteà ipſi impedimento eſt, quo minùs partium poros, feroſis tantùm, iiſque ſalſuginoſis particulis aditum concedentes, ſubire queat, undè nutritio deperditur, conſumptio inſtat, ſudores promanant, licèt hos ob fibroſam intercutanearum glandularum, aut nerveorum cutis ſtaminum laxitatem in ſomno productam ab inopia ſpiri-

tuum in supremam arcem tunc temporis se colligentium (undè pori magis fiunt patuli) & serosas humiditates continere non valentem, cum Nobilissimo *ETTMULLERO* depluere existimem. Quibus positis iàm properemus ad Methodum.

§. VII.

Ulcus teste *Galeno in methodo Medendi*, & *Ioh. Varandæo* in eodem, imò communitèr præsidium indicat *abstergens*, *exiccans*, *glutinans*, & *consolidans*, hinc non video, quo jure *in tua consultatione præcipuam hanc indicationem* I. *sicco pede pertranseas*, postquàm Pulmonum erosiones tollendas asseruisti, tùnc fortè

In aliud tua mens grande vacabat opus,

Etènim non nè illæ de Ulcerum genere sunt, si cum pure? Eò vel maximè, quòd in historia *rejecta sputa*. D. *purulenta* recenseas? Quibus ergò tolles auxiliis? *Frigidis, ac humidis, ut determinare.*

X.

X. *videris?* Profectò Oedipo est opus, interim credat Judæus Apella. Nusquàm tale quidquàm in Pathologicis, sed tantùm *siccantibus* hoc opus perfici invenies.

§. VIII.

Purpureus autèm, lymphaticusque latex heterogeneis imbutus particulis fluidorum compagem destruens, atque discindens propter luxuriem, & glifcescentiam acrium, & muriaticorum salium *Epicerasticis demulcentibus, & dulcificantibus temperandus* habito respectu ad horum spicula; quatenùs verò ab iisdem fusionem patitur, ad laxitatem vitandam, & corrigendam *Constipantibus*, ut *SACCHI* verbis utar, apprimè muniendus; hostiles scoriæ eliminandæ, fluidorumque massa mundanda, & si quæ coagulationes accedant (has quoquè tecum admitto, cùm necessariò eas fieri arbitrer ex agglomeratione, sive coagmentatione

attritarum fibrarum) alKalicis idoneis dissolvendæ.

§. IX.

Febris Hectico-Putrida genuinus Ulceris characterismus auctore *LAVRENTIO STRAVSSIO Palæst. med. p. 2. Gymn. 7.* , ut productum morbosum, & præter naturale cautè refrigerans, magisque humectans exigit cum levi attenuatione.

§. X.

Macies verò renutriens , vitæque nectar restituens sufflaminibus remotis desiderat . Cœteris symptomatibus ex arte occurrendum.

§. XI.

Profectò *Radix Chinæ* tanquam auxilium *siccans* primò indicatum *ab Ulcere*, ut suprà dogmaticè demonstratum , *in nostro Casu convenientissima videtur* , optimè cum traumaticis , & paregoricis maritata , ideòque non solùm ab Auctoribus *à Domino Maximo* precitatis in eumdem usum laudata ,

sed

ſed prætereà *à Riccardo Morton in ſua Phthiſiologia*, *ab Amato Luſitano in Gent.*, *à Benedicto Silvatico in Conſ. à Phernelio in Conſ. à Paulo Barbette*, *à Theophilo Boneto*, *Joanne Jonſtono*, *Pompeo Saccho*, *Sennerto*, *Laurentio Strauſſio*, *Philippo Jacobo Schenfelder*, *Fabricio Hildano*, *Jacobo Primiroſio*, *Johanne Hellvvigio*, *Luca Scrokio*, *Andrea Lacuna*, *Roderico à Fonſeca*, *Philippo Ingraſſia*, *Hercule Saxonia*, *Gregorio Horſtio*, *Hieronymo Velſchio*, *Iohanne Petro Loticbio*, *Balthaſſare Brunnero*, *Thoma VVilliſio*, ſexcentiſq; aliis, qui praxim Medicam conſcripſerunt. Quid pluribus, ſi tota Medicorum Schola annuente? In hoc inſtanti tuum diverticulum perſpicio, jàmque mihi videris hos ſermones interrumpere, vocemque intercipere; pace tamèn tua, nè mihi moleſtus ſis, donèc ulteriùs tuas perſolverim inſtantias.

§. XII.

§. XII.

Secundum indicatum à causa erat primariò *salium acredines dulcificans*, temperans, demulcens, secundariò *sanguinis laxitatem corrigens*, *& adstringendo firmans*, ut salium activitas eludatur. Hisce *intentionibus perbellè Sinarum Radix satisfacit*; nàm *adstrictoria sua vi* ità unit succi nutritii partes, ut quasi ferruminet, & contrà salium aggressionem defendat, atquè tueatur.

Porrò *an eadem dulcificandi, & salinum acre*. O. *temperandi æquipolleat virtute* cum ejusmodi aliis, promptè assero, illud quoquè suo modo ipsi fore adscribendum; *directè* scilicèt, seù immediatè, *& indirectè* seù mediatè, hoc modo ratione *stipticitatis* supradictæ, illo ratione *innati sulphuris alkali colligati*: acredo nàmque major, & minor in eo consistit, quòd particulæ acido-salinæ magis, aut minùs expolitæ, & acutæ existunt, ut in alienos poros promptiùs se

possint

poſſint exerere, & inſinuare, ideòque corpus, in quod agunt, in minutiſſima, ut plurimùm, confringunt corpuſcula; correctio ergò hujus acredinis in eo poſita eſſe videtur, ut acuminatæ cuſpides infringantur, & obtundantur, cujuſmodi poteſtatem non niſi *ſulphur* obtinet, quod pinguibus, & ramoſis ſuis implicat, involvitque aculeos amplèxibus, aut ſaltèm vaginentur, quod unicè præſtat *alkali*, & per cutis habitum potiſſimùm deturbentur tanquàm commune, & Univerſalius emunctorium, ideòque Carteſiana cohors in Phthiſi Decocta lignorum vim humores acido-acres imbibendi, & immutandi, utpotè Diaphoretica poſſidere, jugitèr declamat. Hoc tamèn quià fortè inæqualitèr perfungitur imperio China, icciricò ſatiùs eſt, illam cùm cæteris, ut dicebam, alKalicis Epiceraſticis, pectoralibus, traumaticis, refrigerantibus, & incraſſantibus copula-

la-

lari, ut infrà *ex Pompeo Sacco p.* 79.

§. XIII.

Hanc doctrinam nè gratis crepare videar, Famigeratissimorum Virorum auctoritatibus comprobatam expono. Choream ducat Patavini Gymnasii novus refulgens Apollo, *SACCHUM* dico, qui perdoctè notatum reliquit *in Febrili Iride sect.* 1. *cap.* 3. §. 14. & alibi, *Inter omnia verò medicamenta bilem volatilem figentia, & ejus acrimoniam temperantia sunt sulphura &c.* & paulò post §. 23. *Aromatica verò præter virtutem attenuandi acidum peccans emendant, quòd ad magnam effervescentiam concurrit. Et si videatur difficile concipere, acida, quæ sunt ignea, corrigi ab aromaticis calidis, re tamen attentè considerata cessat difficultas, quia aromatica, præter oleositatem acidum demulcentem, alkali abbundant expresso in punctione.*

Obii-

Obiiciet fortè quiſquam, hunc textum minùs quadrare, tanquàm propoſito caſui non æquè reſpondentem? Hallucinatur iſte, patet enim, quomodò tanti *Viri* ſententia noſtræ *Chinæ* poſſit accommodari, cùm hæc *Rhiza*. P. *etiam per Adverſarium ſulphuribus, & aromaticis ſalibus volatilibus* quadamtenùs onerata idem efficere poſſit, & probabile putaverim ratione ſaltem ſimili: præter quàm quòd à majori ad minus data proportione affirmando tenet conſequentia: Audiamus prætereà eumdem *Auctorem novo in Siſtemate cap. 4. ſection. pr. p. m. 48. E contrà verò à bile nimis exaltata, & acri reddita per redundantiam, & volatilitatem innati Salis adeò attenuatur maſſa Chyli, ut ſanguis ab ea tenuiſſimus reſultet cum facilitate ad efferveſcentiam præter naturalem, diſſolutionemque ſuſcipiendam etiàm à levi cauſa calefaciente, & diſſolvente, & tunc fixantibus, & adſtrin-*

ſtringentibus bilis exaltata ſupprimenda, ejuſque acrimonia aqueis, & oleoſis dulcificantibus moderanda. Hoc loco mihi videris arguere, citatum Virum intelligere de terreis adſtringentibus, verùm ſolutionem reddet *idem ſection.* 1. *cap.*6. *p.m.* 79. ubi inquit; *Nàm non alitèr curabunt* (loquitur de Antiquis) *hanc ſeroſam colluviem à cauſa calida, niſi cum medicamentis, quæ bilem in ſuis qualitatibus excedentem reſpiciunt incraſſando, & conſtipando ſanguineam maſſam; & huic modo curandi adhærent etiàm Recentiores in prędictis affectibus* (de ſeroſa colluvie diſſerit) *à prædicta cauſa* (ſcilicet calida à bile, & acrimonia ejuſdem ſalina) *& pro hac extirpanda utuntur refrigerantibus ratione caloris falſi prædicti, & demulcentibus ratione acrimoniæ illius; & roborantibus, & conſtipantibus ſanguinem ratione laxitatis à corroſione contractæ. Refrigerantia, & demulcentia acrimo-*

niam salsi , & bilis pluribus in locis superiùs sunt recensita; sanguinem constipantia præter refrigerantia supradicta erunt Decoctum Santalorum omnium (aures arrige) *Radicis Chinæ , cannæ montanæ cum herbis &c.* Item *sect. 2. cap. 1. p. m. 262. de Difficultate respirationis* his verbis . *Idcircò in causa calida conveniet Decoctum Santalorum, Chinæ , rad. Cannæ cum herbis refrigerantibus , & bili peccanti convenientibus &c. In frigida causa erunt præscribenda exiccantia calidiora , lignum Sanctum , salsa &c.* cui posteriori sententiæ pariter adstipulatur *Lazarus Riverius de Decoctis sudorificis cap. 12. Instit. med.* præter alios, quos ultrò mitto , plures gravissimos Auctores.

§. XIV.

Sequatur Doctissimus *ETTMULLERUS* in cura Tabis : *Ratione acrimoniæ sanguinis , & lymphæ sulphur, succinum &c. His socientur ligna in specie sassaphras,*

& Radix Chinæ, hinc guajacum, & ex his lignis parata Decocta, quæ resinosam sulphuream substantiam elicitam obtinent, undè temperant acre, resolvunt hinc indè hærentes sordes, & in progressu Phthiseos, in specie ubi iàm dyscrasia sanguinis processerit longiùs, aut pulmones iàm affecti sunt, conferunt. Et paulò post, *Ad correctionem massæ sanguineæ acrimoniæ, eamque temperandam optima sunt Decocta v. g. radicis Chinæ glicyrrhira, & passulis his ipsis mixtis &c.* Ulteriùs, *Quòd si malum eò profectum sit, ut cum massa sanguinea etiàm lympha simùl nimis acris, & salsa evaserit, danda simùl decocta talia, quæ aliàs in Lue Venerea usurpantur, aut uti vocant contrà catarrhos destillantes laudantur, sassaphras*, China, *Guajacum &c. Quæ ipsa etiàm conveniuut, si ulteriùs ab acrimonia sanguinis, & lymphæ pulmo erosus, & in ulcus corruptus sit, ubi præter dicta*

simul

ſimul vulneraria ſunt experta, fermentum ulcerum corruptivum ſanguinem inquinans emendantia, corrigentia, & ulcus conſolidantia. In genere quandò Auctores dicunt, eſſe Phthiſim, ſeu Tabem à deſtillationibus, tunc ſemper intelligenda eſt acrimonia ſanguinis nimia cum acrimonia nimia lymphæ; his ergò in caſibus dixi, quod Decocta lignorum, & radicum conveniant. Et ſubdit. *Ex his radix* Chinæ, *& ſaſſaphras præ cæteris conveniunt.* Tandem concludit, *Deindè in uſu ſunt ad curam Phthiſeos lignorum, & radicum ſudoriferorum Decocta, ſit ergò formula ex radice* Chinæ, *& ligno ſaſſaphras, quæ cæteris præfero.*

§. XV.

Dices, feliciſſimum hunc Practicum *generalitèr* loquentem non reſpexiſſe *temperamento calido, & ſicco, habituique gracili*, à quibus ſimi-

ſimilia prædicta pharmaca reſpuuntur, multò minùs hæccheitati *Domini Joſephi Ignatii Oliverii*, ideò ejus teſtimonia non afficere.

Gordius hic nodus in ſequentibus diſrumpendus . §. 48. & 49. incidentèr tantùm ſolvatur . Auctorum teſtimonia immobile Medicinæ ful crum exiſtunt, quarè cùm ab illis remedium alicui morbo experientia , & ratione comprobatum proponitur , *ſi non à Contraindicantibus* . NB. *iiſque æqualiter urgentibus* , *ſed ſolùm à Correpugnantibus interdicatur* , *à Medico uſu non debet repelli*, *ſed tantùm modificari* , corrigi , & aptari , in quem finem multa alia celeberrimorum Scriptorum monumenta hùc referrem ad tollendam dubitationis etiam ſuſpicionem pro mei aſſerti confirmatione , ſed vereor , nè quatriduanam Lectoris naribus graveolentiam expirent , & præfatorum dogmatum nauſeam faciam

ciam increbescere: præ oculis sunt, itàque à diverticulo in viam.

§. XVI.

Pharmacum tertiò ab Hectica-Putrida suprà indicatum, modicè refrigerans, magisque humectans, levitèrque attenuans constituimus. *China* secundæ huic qualitati facilè respondebit, dùm primis activæ nimirùm, & passivæ multa prostant, quæ satisfaciunt, undè invicem hæc præsidia coacta, temperata, & usurpata omnem possunt paginam absolvere: hinc non desunt Practici, qui tali mixto felicissimè utuntur. Appositè hic notetur *SACCHUS in Iride Febr. cap. 22. de Hectica, ex quo licet inferre, incrassantia sanguinem Hecticæ esse nociva, & è contrà attenuantia esse ei proportionata, si tamen sint sine excessu caloris, qualia sunt sales volatiles oleosi*; quibus China non caret, *& si aliquid caloris participant, cum*

cum frigidis correcta exhibeantur.

§. XVII.

Quartò. Alimoniam reparantia ea sunt, quæ aut succos acredine spoliant, eorumque salia diluunt, (extabescentiam enim una tecum fieri quandòque posse concedo à rosione alluentis sanguinis acris, indèque à carne abradentis) aut eosdem fluxiles reddunt; ut carnis attingant penetralia, partiumque poros subeant, ibìquè glutinentur, qua ratione Balnea præsertim operantur, & prosunt. Id eo nomine *Chinæ* tribuendum, vel primo quià serum abbundans imbibendo, & per Diaphoresim, sive per Diuresim excludendo naturalem fluidis cõpagem, atque texturam, confosso peregrino hoste, restituit; vel secundo quià fusionum, & coagulationum anomaliis depulsis, prævia attenuatione concretorum, perfectam in humoribus mixtionem conciliat, æqualitatemque reducit;

cit; vel tertio quià resinosa pingui, *& substantifica humiditate à veteribus dicta, per sal volatile oleosum concentratum secundùm Chimicos* explicata acres succos agglomerando illorum rosionem, aut aciditatem maciem inferentem eludit, atque refrænat; & hoc est, quòd Galenici dicunt, Radicem Chinæ humidum primigenium reparare, quià scilicèt causas acres illud depopulantes corrigit, & emendat, ideòque illud idem per consequens conservat, absquè eo quòd radicali humiditati quidquàm substantificè adiiciat.

§. XVIII.

En tandèm scopum attigi, dùm China proscripta ab exilio revocatur, & postliminio recipitur; imò quæ *nullam potuit*. L. *implere indicationem* in Phthisi, una cunctas æquat. Iure igitur meritò ad Chinam tanquàm ad sacram anchoram confugiant Tabidi, eamquè alteram Panacæam indigitare non desinant: summis ta-

mèn hiſce laudibus *Lactis* excellentiæ non detraho, nec ejuſdem ſingulariſſimas dotes detracto : eximiis illud quoquè proſequerer encomiis, ni ab inſtituto recederem.

§. XIX.

Verùm quæ inſuſurratio meis obſtrepit auribus? Multa quidèm dictitata, difficultas tamèn non ſoluta, elicitæ primariæ Indicationes, Permittentia verò, & Prohibentia minimè librata, nec in conſilium vocata.

Durus nodus, durus cuneus, obiectorum dilutionem nondùm aggreſſus, tanti momenti rationes ultrò præterii, omnibus eo tempore paria facturus. Urgeat aliquis, argumentum nimis probans nihil probare, Reſpondeo negando aſſumptum, non enim nimis probat, quòd tantùm ſatis.

§. XX.

Auſpicatò igitur inſtat occaſio tua redarguendi argumenta. Incaſ-

casſùm *à Juvantibus, & lædentibus*. A. *Chinæ uſum primitùs evertere* conaris, dùm Patiens ter illum ægrè tulit, tale quippè incommodum nùm à China, vel à Guajaco ſimùl inceсto, (contrà quod ſi vires expertus eſſes, fortè meliùs res tibi ceſſiſſet) aut ab alio quopiam adiunсto ortum debeat, tuo acumine decernendum relinquo; quam mixtionem ultrò prætereo, meum enim non eſt iſthæc penſitare, præter quàm quòd *omnia ſecundùm rationem facienti, ſi non eveniat ſecundùm rationem, non eſt tranſeundum ad aliud HIPPOCRATIS* fide.

XXI.

Tuis Indicationibus luſtratis, *Chinæ Radicem*. L. *nullatenùs eas adimplere poſſe confiteris*. Non poſſum hic diutiùs non immorari. Elicitæ à te quidèm indicationes, ſed non abſolutæ, etènim non nè iſtæ tàm à Morbo, quàm à Cauſis determinantur? Iàm verò inter Cauſas *ſeroſum laticem culpaſti*.

G: *ab humorali massa Salium acrium, & silvestrium* luxuriantium vi colliquata exudantem, quare ergò ab hac serosa colluvie indicationem ad rectum medendi ordinem pertinentem non eruisti? Vel naturalis, vel præter naturam ea est, si primum, ergò non erit causa morbi intrinseca, & immediata (non tamèn me fugit, quòd aliquandò humor licèt secundùm naturam in substantia, peccet aut quantitate, aut qualitate, aut motu, aut quiete, sive collectim, sive divisim, ideòque causa morbi existat; is enim ex quocumque capite iàm non ampliùs naturalis erit dicendus, sed præter naturam, hujus symmetriam lædendo) nec ab acri sale morbifico parente oriunda; si secundum, ergò præsens in corpore auxilium indicat, quod vel exiccet, vel ejusdem ulteriorem inhibeat generationem, & in hoc sensu China multum prodest, ut superiùs apertè demonstravi, & ampliùs §. 54. ostendam.

XXII.

§. XXII.

Agedùm China tuam primam non explet indicationem, quià *silvestres sales non valet deprimere exaltatos*; M. *sed potiùs acuere, cùm sit attenuans, calefaciens, siccans*. Si Empirico, non Dogmatico more, si excedente dosi, aut non castigata illa præscribatur, forsan id posset contingere, quod à Rationali Medico facilè præcavetur: sed quæsò, cujus indolis hæc tua salia exaltata, & acria? Non nè in se mixta ex acido, & alKali componuntur, ut §. 5. ex mea hypothesi dictum, indèque provt ab unius, aut alterius prosapia descendunt, sic acidi, aut urinosi plùs participant, & fixitatis, aut volatilitatis fiunt participes? Communis ea lex est, videatur *ETTMULL. in Pyrotechnia Rationali cap.* 2. circà finem, qua ergò rodunt ratione primis, an secundis qualitatibus? Ingenuè fateor secundis, item figura,

hinc ipſa bilis ſine ſale effæta tot morbos accerſit ab humorum craſſitie oriundos , eoque onuſta minùs rodit quocumque alio ſale; ſi ergò quicumque ſal ex acido, & vrinoſo concreſcit, tàm acidum , quàm alKali juxta alterius prædominium, & contrarietatem illud vinculum diſſolvit , ex eoque productas enormitates caſtigat , itàquè ex his conſequens erit, ut nèc ſalinum acidum exaltetur ab alKali , ſed potiùs infringatur , & deprimatur , nèc alKalicum ab acido , ſed acidum ab acido , alKalicum ab alKalico , (tua verò ſalia an diverſa ab hac ratione exaltentur, libentèr intelligerem, ſicuti quomodo à China poſſint exaltari eademmet ſalia acidoacria in noſtro Domino Patiente , cùm in ipſa Radice reſideant iſtis principia inſignitèr contraria , ut proximè, & ſequenti ∫. 26. dicetur, à quibus tantùm abeſt, ut acuātur , & exaltentur , quin potiùs deprimantur , & extinguantur)

di-

diversa tamèn cùm sint acida, diversa & alKalia, diversimodè, & multifariè utraque operantur, & alterutra invicem destruuntur, *nullo habito*. N. O. *caloris*, *& siccitatis respectu*, nisi dicas, accessorio.

§. XXIII.

Quamobrem Chinæ radicem in usu Medico tanti facio, ut paradoxum proponere non erubescam, videlicèt ipsam sive acido, sive urinoso peccanti semper mederi, cautione addita, ut contrà vrinosum correcta porrigatur; nèc ratio longiùs erit sciscitanda, si partes ejusdem acidæ, & alKalicæ intimiùs considerentur, & examinentur, quarum virtute amicabili vinculo junctarum naturam induit dixerim Hermaphroditicam, remediumque redditur palmarium, nunc unum, nunc alium pro re nata hostem aggrediendo: nàm sicùti multa similia Hermaphroditica salia artis ope, & ministerio comparata penè opposita

curationum fæpiùs oftentant prodigia, ità potentia ejufmodi Chinæ non erit deneganda, in qua adverfantium principiorum nexus fola Naturæ Enchirefi elaboratus exiftit.

§. XXIV.

AlKalicas latitare in China virtutes, attenuatio, diffolutioque commonefacit, *tuquemet*. P. *credidifti*, fatifque §. 12. & alibi indicatum; acidas, ejufdem ponticitas, & adftrictio demonftrat, nec non in decoctione ad acefcendum proclivitas, undè idem Incomparabilis *ETTMVLLERVS* loco proximè citato habet, *In omni maximè ligno latitat acidum, ex elicito fpiritu per deftillationem acore manifeftum*.

§. XXV.

Quo tamen pacto *unum fal alterius vires infringat*, accipe primò ab Experimento, dùm falumina quæcumque in convenienti liquore

re posita, novo superstrato sale; ni dulcescant, penè insulsa evadunt, cujus ratio est, quià sales soluti invicem congrediuntur, ac digladiantur, & quilibet in alterius corporis alkalinos poros sua acumina vellet exerere, in quo conflictu ità hebetantur acidità spicula, & obtunduntur, eviisceraturque salinum corpus, ut dissolutum concretum præcipitetur, & absque nova effervescentia secedat; in solutione siquidem cujuscumq; concreti consideratur proportio aut formalis inter particulas menstrui solventis, & particulas, ac poros corporis solvendi, ut utræque mutuo nexu jungantur; aut materialis ex convenientia in radice; hinc concreta sulphurea per menstrua sulphurea; salina per menstrua salina, & aquea facillimè solvuntur, quia solvens certam quamdam habitudinem ad ipsam rem solvendam obtinet; eò vel maximè, quòd acida cum acidis non fermentantur:

illud præterea singulariter obtinet acidum, ut dissoluta coagulet, & coagulata dissolvat. Secundo à Ratione, quià salia volatilia alKalica, ut in China, prævalendo virtuti acidi concrefacientis, ratione occulti spiritus acidi simul, hòc illud destruunt, & remanente spiritu acido cum alKali humoris prius coagulati, cum eo renovata effervescentia modificatur, & fluit.

§. XXVI.

Præter hæc ad hominem tantùm conscripta, tuisque inhærens decretis, ex mea ad Recentiorum mentem hypothesi §. 5. circà finem relata evidentiùs adhuc confirmabitur, *Chinæ facultatem*. O. *in extirpando acido salino volatili tabifico longiùs se extendi*; etènim sale volatili, oleoque aromatico totiès inculcato, ut sancitum §. 2., isti morboso acido excedente acrimonia peccanti ad men-

mentem *Francisci Sylvii de Lue Ven.* singulariter contrario Radix ista certò certiùs abbundat; quare immeritò ab hac *naturali potentia* eam expungis; cùm non sit ultrà inquirendum, an ipsa tale alKali possideat, quo acidum specialiter pulmones corrumpens vincere valeat, quandò totum id negotium *non per Aristotelicas qualitates*; O. *sed per Neotericorum, Chymicorumque placita*, & inventa perficiatur: quòd si minùs concludenter probari fas sit, illud forsan satis esse posset, & luculentiùs adhùc veluti digito indicari videtur, quòd *Lues Venerea* à consimili, ni ab eadem ferè causa acida salina volatili dependens in quovis temperamento, ætate, sexu, habitu, regione &c. per ligna, cortices, & gummosas radices felicitèr, & perfectè curatur, teste *SYLVIO*, quid ni igitur & Phthisis? Hi quippè duo affectus secundùm magis, & minùs tantùm differentes, ideoque speciem non

mutantes ex Peripaticis, maximam habent inter ſe conformitatem, totaque inter eoſdem diverſitas non aliundè, me judice, peti poteſt, quàm ab Univerſaliori acidi Venerei afficiendi modo, quo indifferenter quamcumque corporis noſtri partem valet afficere, & occupare; undè acidum Venereum cum Tabifico multum affine potius eſt cauſa Analoga, quàm Vnivoca; & generalior, quàm ſpecialior, apta nata non minùs Phthiſim, quàm diverſos plures morbos inferre: & è converſo *acidum Tabificum non niſi Pulmonibus ſingulariter infenſum, hos peculiari noxa inficit, inquinat, corrumpit*; jàm verò ſicuti inter Luis effectus pulmonum ulceratio frequens occurrit, quis utriuſque morbi inter ſe conformitatem negare preſumet?

Hìc obiter, & quaſi deſultoriè noto, proprijs, diuerſiſque aliorum experientiis, & obſeruationibus inſtructus, ſyphilide inquinatos

abſ-

absque alia prævia corporis proclivitate olim ab *HIPPOCRATE* descripta, & ab omnibus ferè Practicis recitata commodiùs, aptiùsque Phthisi corripi, ac perire, quomodò heù præmaturè nimis bini mei Fratres Vxorii sublati sunt; nec ætas aut consistens, aut consenescens quidquàm ipsis auxilij, aut munimenti vallare videtur, eò quòd eam *DIVINVS SENEX* exceperit *aph.9.sect.5.* vidi enim inter cæteros *MONFORTINI* Concionatorem quemdam quinquagenarium, cui medicinam feci, supradicto fato cessisse.

Itaque si China ut ad pensum redeamus, Celticum Venenum profligare potens est, morbosum acidum salinovolatile superando, pellendo, extinguendo, efficax quoquè extiterit in Tabifero acido pariter salino-volatili corrigendo, debellando, & extirpando. Sed petamus jam viam, undè digressi sumus, de his enim Recentiores omnes bene audire autumo.

§.

§. XXVII.

Quoniam verò hisce te parùm acquiescere prævideo, cùm caloris tyrannis tuę opinionis firmiter adhùc teneat imperium, novos conatus intendere cogor, ut eum è sede depulsum captivitati concedam. Demus igitur, quòd *China acuat, attenuet, & calefaciat* M.N. *hoc ultimum tàm remissè agit, quia saltem in primo gradu*, ut si ab experto Artifice temperetur cum toties dictis refrigerantibus, nullum erit pertimescendum periculum calefactionis, quòd certè perpendens *RIVERIVS* in ipsa calida Hepatis Diathesi decoctum Chinæ succo limonum refractum præscribere non reformidat, illudque ipsum, imò à fortiori innuere videtur *MARCVS VVOLFFHARDVS* apud *HORSTIVM* his verbis *Radix Chinæ corpus antea excandefactum tantùm abest, ut inflammet,*

met, ut potiùs eventare, & alterare illud NICOLAO MONARDO, GARCIA AB HORTO; & alijs exoticorum indagatoribus ſtatuatur. *ANDREAS LAVRENTIVS etiam in tract. luis Ven. cap.* 13. hæc habet, *Radix Chinæ calida non eſt, ſed habet vim fortiter deſiccandi &c.* Tandèm *GABRIEL FALLOPIVS* id idem ſentit *lib. de morbo gallico, cap.* 60. Verùm cur diutiùs in auctorum recenſendis ſententiis immorabimur, cùm id, quod probare innitor, jàm pro ſuppoſito habuerimus?

§. XXVIII.

Falſum præterea eſt, *Chinam, qua calida & ſicca eſt* N. *ſuperiorem fore naturali Patientis conſtitutioni,* è calidioribus principijs enutritæ; vel enim Patientis temperies eſt primo gradu calidior, vel non,

Dextrum Scylla latus, lævum implacata Charybdis
Obſidet.

Si

Si calidior, ergò Chinæ qualitas remiſſior exiſtit; cùm vix in primo gradu calida etiàm ex tua aſſertione ſit, ergò non ſuperior; ſi non calidior, ergò ſaltèm falſum eſt, talem conſtitutionem à calidioribus principiis conſtitui, aut temperamentum minùs primo gradu calidum quodammodo temperatum erit dicendum; & per conſequens non poterit prohibere uſum medicamenti calidi in primo gradu, imò facilè ſuſtinebit, cùm nocens qualitas non intendatur, ut cuiq; Philoſopho, nè dùm Medico poteſt eſſe perſpicuum: Accedat, quòd agens calidum in primo gradu non poteſt paſſo communicare ſimilem gradum tùm ob paſſi reſiſtentiam, tùm ob agentis de potentia ad actum deducendi refractionem, cùm omne agens agendo repatiatur, & diverſus ſit operandi modus qualitatis actualitèr talis, ab ea, quæ potentialitèr talis exiſtit. Inſupèr nequè verifica-

ficaretur illud, *proptèr quod unum quodque tale*, & *illud magis*, quià corpus v. g. diceretur calefactum ut duò propter Chinam, quæ non modò non haberet gradum caloris ex vi axiomatis superiorem ad duò, sed remissiorem, quòd cùm sit absurdum, dicendum erit, propter ipsam corpus non posse calefieri ut duò; & licèt in dissymbolis hæc doctrina veriùs procedat, in symbolis etiàm ratione agentis æquivoci currit in rem nostram: nàm qualitatum intentiones per additionem gradus remissi non concedo, benè autèm per additionem gradus superioris, v. g. qualitas ut duò, ut intendatur, requirit, ut eidem addantur gradus qualitativi ut tria, non ut unum, quià hic quidquàm intensionis non faceret, cùm gradus in qualitate non sicùt in quantitate augeantur per juxtapositionem, aut per intus sumptionem, in quibus quælibet pars minima augmen-
tum

tum parit. Hujus igitùr unicum tuæ difficultatis nodum iàm persolvi, *notavi*, *sensumque intellexi*, tu verò filum quære Ariadnæum.

§. XXIX.

Admittis tandem *alkalia*.. O *sine excessu primarum qualitatum* (puto, te de calore subaudire) propriis salibus orbata, alienos acidos sales imbibentes, indèque fluxiones sistentes, pacatamque fermentationem promoventes, à quorum consortio, & operandi modo Chinam pariter proscribis, cùm tamèn & ipsa alKalicorum familiæ accenseatur, & caloris, ut dictum, non patiatur excessum, quià si excessus primus gradus diceretur, de tota Philosophorum schola aliter quotidiè dictante esset conclamatum, verùm enim verò si fortè fortuna China caloris punctione tibi negotium non facesseret, totum absolveret punctum.

§. XXX.

Porrò *Diabetica passio*. Q. *à te feliciter percurata ope alkali*. P. *Chinæ volatilis*, tantùm abest, ut à fermentorum depressione, & imbecillitate pronata fuerit, quin potiùs à salinis acido-volatilibus spiculis in sero luxuriantibus, carnesque liquantibus ortum traxerit, ut *SACCHUS in Sistem. pag* 79. & 139., *atque in Conf.* 102. Eadem igitur ratione illa prodesset in Phthisi, uti hic, ubi non caloris Chinæ nativum excitantis præsentia, sed acoris absentia per ejus alKalia sublati morbum fugavit, calor enim hanc consequitur, non præcedit.

§. XXXI.

Equidèm verò negare non ausim, Chinam absolutè usurpatam fermentorum depressionem à vitioso acido factam aliquomodò exaltare, sed frigidorum impe-

perio mancipatam idem præstare posse, vix mihi persuasum habebo, cùm potiùs naturalem fermentorum crasim, ac tonum restituere, vel corrigere apta nata sit. Itaquè ut summas colligam, tale argumentum suppono.

§. XXXII.

Vires, temperamentum, ætas, regio, anni tempus &c. Coindicantium, aut Correpugnantium naturam sapiunt, ideòquè in pharmacorum administratione, & electione eorum respectus semper habendus, ergò in casu, licet morbus Chinam ut siccantem exposcat, temperamentum calidum siccum, gracilitas habitus, & succorum salsedo à causa calida nihilominùs correpugnant, iccircò non est usucapienda.

Achilleum profectò argumentum ab ipsa Methodo desumptum; responsum modò excipiat, si qui illud construeret. Maxima

est,

eſt, *magis eſſe Indicans ad Indicandum, quàm Prohibens ad prohibendum*, habita ratione ejus, quod magis urget. Maxima eſt; *Permittentia, & Prohibentia non tollere indicationem indicati* (ni ſimùl contrarius Morbus, aut Cauſa æqualitèr urgens concurrat, ut §. 15. ſuprà dictum eſt) *ſed tantùm eam modificare aut intendendo, aut remittendo efficaciam, & qualitatem Indicati*. His præmiſſis, & ſtantibus corruit argumentum, non enim temperamentum calidum ſiccum, habitus gracilis, aut ſalſus humor tollunt indicationem exiccandi in pulmonum ulcere, ſed eorum habito reſpectu infringenda venit ſiccitas medicamenti indicati, refrangenda caliditas, in quo ſenſu ad nauſeam uſquè toties replicatum fuit, *debere quidèm in noſtro caſu Chinam cum balſamicis, Vulnerariis, pectoralibus, incraſſantibus, aut refrigerantibus incoqui, non autèm ſo-*

li-

litariè propinari; ex eo verò non infertur, *nullatenùs convenire*, viribus maximè, & Anni tempore, Vere scilicèt, quo hæc disputabantur, non reclamantibus.

§. XXXIII.

DANIEL SENNERTUS Prax. lib. 2. part. 2. cap. 12. suam in præsenti interponat Auctoritatem. *Insignem quoque Phthisicorum ulcera curandi vim habet Decoctum Guajaci, & à plurimis &c. commendatur. Est & utile Decoctum radicis Chinæ; quamquàm enim ista decocta corpus exiccare videantur, tamèn commodum, quod ex ulcere Pulmonis sanato provenit, longè majus est; cùm enim macies illa corporis ex ulcere Pulmonis ortum habeat, Decocta talia causam extenuationis corporis tollendo, vitiosos humores absumendo, & ulcus curando, faciunt, ut corpora extenuata iterùm benè nutriantur, & pinguia*

red.

reddantur, idquod ipsa experientia sæpè docuit. Nec aliquod negotium facessit, eo quod subdat, *Febris tamèn ratio habenda, nàm si Hectica coniungatur, ab his abstinendum*: sano siquidèm judicio, nec præoccupato postrema hæc verba sunt intelligenda, & cum grano salis accipienda, vix enim Tabes absquè Hectica reperibilis, ut propterea cautionem velit Auctor inferre, nè scilicèt tumultuariè, & absquè temperantibus tunc dicta Decocta offerantur, ut optimè mecum sentit *VVEDELIUS Amœnit. Mat. Med.pag.* 343. & suum calculum addit *P.Bernardinus Christini in sua praxi cap. de Hectica cum Tabo*, in quo Decocta lignorum cum fructu paritèr usurpat: vel potiùs non solitariè de China verba fecit *SENNERTUS*, cùm de ea *cap. XV. de Lue Ven.* alitèr sentire videatur, ità scribendo, *& quia temperata est, omni ætate, sexui, quocumque tempore anni, ipsisque*
adeò

adeò febricitantibus *tutò adhiberi potest*. Fortè ab his Hecticos excludes exiccationis periculo? Sed tantùm id abest, quin potiùs eodemmet *Auctore* ibidem monente, *China substantifica quadam pollet humiditate, ità ut ejus usu homines pinguescant*; eaque ratione Fonseca ejus Decoctum in Hecticis, aut Tabidis Gallicis commendat.

§. XXXIV.

Ablegando igitùr tui admiratio non concipientis *quomodò quæ calida, & sicca sunt*. R. (loquimur in concreto) *renutritionem promoveant*, cùm si citati *SENNERTI* verba non oscitantèr expendas, & si quæ superiùs §. 17. à me dicta sunt; iterum revolvas, satis evidens sit, & univocum ad id, quod litt. H. exarasti, ubi defectus oleosarum volatilium particularum restitutionem expetebat, motus, & figura cor-

correctionem, utrumque à China præstandum. Quæ omnia si non primariò, sufficit tamèn ut secundariò verificentur, aut dispositivè, licèt non formaliter, & ex sui natura.

§. XXXV.

Cùm Diaphoreticam China facultatem sortiatur. S. caloris, & siccitatis filiam per te cognitam (fortè quià hydrotica cuncta, & orragoga halituositatem humidam promovent in corpore, & fixitatem acidam, ac pituitosam fundunt, acido temperato, hujusque refrænata energia, sanguinem rarefaciendo, ejusque motum concitando) explodi jubes ab usu pro Domino nostro Adolescẽte *nocturnis*. T. *sudoribus* opportuno, à quibus magis colliquata, & exsucca substantificè redduntur membra, & sicuti hi sudores mali semper ominis sunt, ità eosdem vi exprimere pessimi est con-
F silii,

ſilii, indèque *experientia*. V. *comprobas perceptam læſionem*.

Sanè hæc doctrina indiget explanatione. Diaphoretica, inter quæ tamèn, & Sudorifera magna intercedit differentia, teſte *VVEDELIO* referente *BONETO de Febribus*, calida quidem ſunt, *alia tamèn formaliter*, & ex ſui natura, quatenùs calorem cognoſcimus ſive per Ariſtotelicam qualitatem, ſive per ſubſtantialem Recentiorum effluxum particularum à calido corpore emanantium, & vel in proprium, vel in alienum corpus tumultuario motu excurrentium; *alia verò tantùm cauſalitèr*, & effectivè, imò ratione hujuſmodi omnia exiſtunt talia, quatenùs ſanguis ab eorum activitate vel primariò, vel ſecundariò magis attenuatur, liquefit, fluxilis redditur, cùmque velociùs per vaſa rapiatur, & moveatur, rarefit, unde *Caloris ſenſus*, & *Natura* ſe manifeſtat, quæ conſiſtit ſecundùm Neotericos in agi-
li,

li, vehementi, & celerrima minutissimarum particularum quarumcumque motu, (quòd satis pro nùnc dictum, meum enim non est singularem hujus rei quæstionem hoc loco instituere.) *Prioris generis* corporis penetralia attingentia sunt, *Salia Alkalia Volatilia simpliciter*; *Salia Volatilia sulphurea*, & *Oleosa*; *Salia Alkalia Fixa*, *Nitrosa*, *Ammoniacalia*, *Mercurialia* implicitè, vel explicitè; item *Ameres centia* &c. quæ in recessu vel pura alKalia sunt, vel oleosa, idest sulphureo-alKalina aut sub forma sicca, aut sub forma humida, & aquea, in quibus sulphuri remixtum est principium alKalinum quodcumque aut fixum, aut volatile; vel simplex; vel mercuriale; vel acidum: quæ ipsa acida cum sulphureis, spirituosis, & terreis data sunt sudorifera, quatenùs sic mixta attenuant, funduntque sanguinem, quod ipsum præstant omnia alia supradicta, prout eruditissimè,

& prolixiùs docet disertissimus *VVedelius*. Secundi *generis* sunt salina tantùm, & alKalina fixiora, terrea, & calciformia, primas vias vix penetrantia, acidum tamèn coagulans potentèr enervantia, extinguentia, & absorbentia, quià alKali occulto fœta, hinc solum præcipitando succorum fusionem, & exhalationem secundariò inducunt. Conferantur idem *VVEDELIUS* vbi suprà; *BECHERUS in Phys. subter. lib. primo pag.* 394., *ac ETTMVLLERUS in Instit. Therap. cap.*6., ubi *positivè*, & *privativè* sudorifera distinguit, quorum operandi modus non nisi Recentioribus supradicta ratione cognitus, & declaratus, *per occultam qualitatem à RIVERIO, SENNERTO*, & aliis recitatus, & explicatus fuit: quid verò occulta olim qualitas illa importet, nunc manifestum; eatenùs enim Veteres huic quasi Ignorantiæ litabant Oraculo, quià observabant, res calidiores, vt est

v. g.

v. g. *Piper*, & *Pirethrum* sudationem non prolectare, & è contrà multa, aut aliqua minùs calida illam perfectè evocare, cùm tamen alia insit prioris defectus, & naturalis ad hydrosim impotentię Piperis &c. ratio, *quòd notandum*; quià scilicèt istud nimis exiccando magis sulphur intendit, expanditque (hinc non innoxiè sanguinem nimis accendit, aduritque) quàm fluxile reddat serum: vel quià sicuti quæcumque sulphurea non obtinent sal prædominans, aut proportionatum, & æquabile exhalationi, non sunt æquè sibi relicta sudorifera, ità conditio hujusmodi Piperi &c. ut ut calido, & rarefacienti, denegetur, unde minus aptum existat hydroticum. Quarè *licèt calida*, ut dictum, *existant Diaphoretica*, *quatenùs talia considerata*, cùm eorum omnium actio, & operatio non fiat nisi solvendo, ac rarefaciendo, & per consequens ciendo motum minutissimarum particula-
 rum,

rum, in quo caloris residet essentia (quòd sufficiat ad caloris constitutionem, etsi terrea, & intrinsecè, ut ità dicam, frigida illorum quædam essent) nihilominùs tamèn *an eadem calore, & siccitate. S: principalitèr agant, hisceque qualitatibus hydrosim debeant, an potiùs salinis principiis supradictis, acorem tollentibus*, dubium, confusumque tibi extricandum relinquo.

Hac itàque Diaphoreticologia absoluta, cui eorum classi accensenda sit Radix Chinæ, facilè te intelligere puto, ipsa enim, & *sulphur resolubile, & acidum concentratum, & sal volatile. P. possidet alkalinum*, ex quorum unione laudatissima; & præcipua alia consurgunt Diaphoretica, media scilicèt illa è combinatione sulphurei, & salini acidi, vel volatilis enata, hæc quippè cum pluribus indicationibus debeantur, & satisfaciant etiàm magis fiunt Po-

ly-

lychresta, quòd nostræ paritèr Chinæ non denegandum.

§. XXXVI.

Quicquid verò universaliter sit de eorum calore, (cujus varios adesse qualitativos gradus, si cum Peripateticis sermo est, perquàm notissimum recipitur, quos tamèn Moderni in majori, vel minori energia particularum, harumque in motu rapidiori, vel segniori; vehementiori, vel debiliori; aut in copiosiori, vel parciori earum particularum effluxu magis ad sensum cognoscunt) non ob id æqualitèr omnibus sudorem provocantibus medicamentis acris, & idem calor insidet; quare de ipsis rectè sentit *GERBEZIUS Int. Ext. part. prim. cap. 3. De artificiosa sudoriferorum electione instituenda p. m.* 91. scribendo, *scire te oportet, quod etsi omnia Diaphoretica calida quidem sint,*

non tamen omnia sunt æquè calida, sed eorum quæpiam utcumque ad temperatum vergentia, & proptereà in allegatis casibus (sunt ejus antedicta verba, puta in homine natura calido, & bilioso, aut morbo calido, & ab accensa bile dependente detento) *non solùm calidioribus longè præferenda, verùm etiam satis secura, sic China &c. & similia temperata valdè sunt, & quasi refrigerantia.* Prosequitur paulò post, *Calidiora autem in enarratis casibus non facilè usurpanda, nisi cum aliis temperatioribus eorum caliditatem infringas*. Audin, quàm apposité hæc in meam concedant sententiam? Aureo mediùs fidiùs asterisco notanda sunt, digna tanti Imperialis Leopoldinæ Academiæ Collegæ. Prætereà *ex JACOBO PRIMIROSIO Radix Chinæ minori acrimonia prædita est, quàm alia multa, quæ tamèn in efficacia sudores eliciunt, undè non solùm acria*
ve-

*verùm quædam modicè calida su-
dores ciunt, ut aqua hordei &c.*

§. XXXVII.

Prosunt autèm eadem Diaphoretica, quatenùs sanguinem reddunt puriorem, hinc in Febribus etiàm periculosioribus non reprobantur; paritèrque usurpantur aut ad exiccationem serosæ colluviei, per quam præternaturaliter massa fluidorum diluitur, undè sanguini consistentia restituitur; aut ad fusionem congrumatorum succorum, quibus liquatis æqualis crasis, textura, & motus eisdem reparatur.

§. XXXVIII.

Verumtamèn quo titulo, aut nomine veniat *China damnanda propter potentialem*. T: *diaphoresim*, non video; nequè enim ad hoc, ut sudores proliciat, exhibetur, nequè in ea dosi, qua ad id

exequendum apta nata est; Philosophorum enim judicium est, in maiori quanto majorem, in minori minorem residere virtutem: hinc quæsò Franciscum Sylvium de le Boe audiamus in rem nostram apertissimè differentem, *Sudorifera parantur ex China, Salsa &c., eodem igitùr Decocto, cujus ope corrigi docuimus humorem acidiorem, si copia mediocri assumatur, promovetur quoque sudor, si copia sumatur majore, aut paretur potentiùs &c: Nec parvi pendendum est, quòd eodem medicamento, & corrigi, & expelli queat humor in corpore peccans, quod mirùm, negari à quibusdam &c.* inter quos tacitè tu locum quæris. Et rursus, *sumantur proindè Decocta ad sudorem in quantitate, sic enim non tantùm aucta sudoriferorum vi, sed liquore ipso aucto, sudoris eruptio promovebitur*. Ex his colligitur, Decoctum parari potentiùs, & sudoriferorum augeri vim, si majori dosi ista præscriban-

bantur. Igitùr China ad Diaphoresim sudoriferam ordinata ad Uncias, in casu ad dracmas debet porrigi, aliàs esset error in dosi, quam ego non probarem; 1. tùm ob facilem acescentiam, si ad plures dies Decoctum idem præscribatur, & servetur, undè meliùs est, ut sit quotidianum, 2. tùm ob proportionem unciarum cum dracmis, cùm idem sit unciam v. g. in octo doses distinguere, ac dracmam unica exhibitione consumere, servatis Pharmaciæ legibus, vel 3. ad magis infringendam, & diluendam sudoriferam potestatem enervatis Viribus summè adversam: quapropter in hac modica quantitate si sudores non elicit, placidam tamèn, nec tumultuantem succorum solutionem perficit, aut solutorum heterogeneitatem removet, excutit, & expellit.

§. XXXIX.

Utcùmquè ſit, horum colliquatorum ſudorum cauſam in ſuperioribus quoquè perluſtratam diffuſiùs percurrere non erit inutile, *ETTMULLERI potiſſimùm de vi Opii Diaphoretica Diſſert. p.* 81. placida referendo. *Suſpicor, in Phthiſicis tàm copioſos effluere ſudores nocturnos, quatenùs ſub ſomni quiete ſpiritus animales rarioris texturæ minùs irradient, partes extimas, adeò ut debito fibrarum tono conſervando minùs ſufficiant, undè per patentiores undiquè meatus, & poros partium intercutanearum, & ſpeciatim glandularum nutritius ſuccus interdùm ex alimentis congeſtus, ſed ob ſanguinis dyſcraſiam non aſſimilatus, ſpontè ſua ſub ſanguinis circulo penetret, & ità nèc cum ſanguine unitus, nèc in meatibus partium ſolidarum debitæ coercitus, promptiſſimè qua data porta ruat, & ſub*

ſu-

ſudoris facie diffluat. Hactenùs *ETTMVLLERVS* probans, Opium Phthiſicorum ſudores compeſcere, licèt Diaphoreticum, & in aliis caſibus eoſdem proliciat. Parem eventum an China ſortiri poſſit, periclitandum.

§. X L.

Sanè tribus modis ſudor exit, Primò. Partium ſolidarum *Exolutione* modò dicta, & præ imbecillitate, ſiquidèm ſuccum, quo nutriri debent, aſſimilare non poſſunt, eumque ſinunt effluere; hic omnium peſſimus, nèque conſertim fit, potiùſque *ſudatiuncula* appellatur, quàm *ſudor*, & cum virium imbecillitate. Secundò. *Expreſſione*, qua elicitur ſudor in magnis doloribus, vel in angoribus, cùm ſcilicet ſpiritus agitati incaleſcunt, rurſuſque ad cutem tranſmittuntur, & juxta ipſam condenſantur. Tertiò. *Excretione* ſive à Natura, ſive ab Arte, qui ſudores poſſunt eſſe optimi, vel

fal-

saltèm boni juxtà conditiones ab *HIPP. in Progn.* descriptas. Quibus differentiis à *RODERICO à CASTRO* mutuatis. *Quæ ex quibus cap. 23. lib. 1.* triplex correspondet sudorum materia, scilicet *Colliquatio* ultimi alimenti partium, vel *Portio* tenuior alimenti, vel *Serum* humorum aut sincerum, aut mixtum, provt asserit *JACOBUS PRIMIROSIVS*. Plura mitto in hunc penum congreganda, quæ legantur apud *VVOLFFGANGUM VVEDELIUM l. c.*

§. XLI.

Ex his deducendum venit, haud sillogisticè te processisse in implicita illatione ista; *sudores nocturni. T. in Phthisi sunt periculosi*, noster Patiens tentatur his sudoribus, ergò sunt periculosi, ergò non sunt procurandi, ideò nec Diaphoreticum est exhibendum, ergò &c. nàm adest Fallacia suppositionis, nec enim est eadem utriusque sudoris

doris materia, nec eadem causa, nec idem modus. Insuper minùs verum est assumptum, quià non ad concitandos sudores China in casu debet majori præscripta dosi vsurpari, ut suprà §. 38. latiùs juxtà meam mentem explicavi.

§. XLII.

Ad Experientiam. V. *passæ læsionis* dico, aut non præcisè à China, aut saltèm per accidens, gravando ventriculum fortassè anteacta cœna oneratum, provenisse, ut relatum mihi est; ideòque sudor maximè circa Xyphoidem, & Faciem procumbebat, quod concordat cum eo, de quo concinnè loquitur *PRIMIROSIVS*, *sic si in coquendo cibo Ventriculus laboret, circà illum sudor emanat*. Item *si quis deliquio ex stomacho corripiatur, quamvis ventriculus laboret, tamen in facie sudat*, En ventriculi cum facie consensus: ni potiùs ratione temporis exhibitæ potionis tale symptoma con-

contigerit, quemadmodùm *CHRISTOPHORUS BENETTUS in Theatro Tabid. exerc.* 1. annotat, *Pulmonario bilioso profuisse Decoctum Antiphthisicum manè datum, idemque tamèn præsidium horæ somni exhibitum, amarescendo & effervescendo, obfuisse*, undè rectè cecinit *Sulmonensis* Cycnus

Eripit interdum, modò dat Medicina salutem.

& rursùs

Temporibus Medicina valet, data tempore prodest,
Et data non apto tempore sæpè nocet,

quòd a fortiori magis concludit, quàm de vino.

§. XLIII.

Gravata autem Respiratio cùm reliquis symptomatibus facilè in incoctum chylum à Chinæ jure post cænam superbibito in lacteos, & pneumonicos tubulos deductum refundi potest.

Quem ordinem, tempusquè exhi-

hibendi Chinam hora somni an recipiam, & commendem; an reiiciam, promulgare nùnc temporis supersedeo, cùm simplicitèr non sit in quæstione, atquè

§. XLIV.

Aliò me compellat propositi *Lactis* consideratio, cujus in casu facultates curativas nisi à mente capto reprobari posse, nullus dubito. Illud unum parùm satisfacit, quòd ducto à contrariis argumento Chinæ usum evincere satagis ex eo, quod *Lac contrariis* Z. *ipsi Radici qualitatibus insignitum* ideò conferat, quià *frigidum*; X. *& humidum sit*, per quas qualitates *reduplicativè* sumptas sùbstantificè nutriat; optimum sanguinem generet, acrimoniam salium vitiosorum corrigat, interna ulcerà abstergat, & consolidet. Bellè nimis, sed ista partim conveniunt, partim minimè arrident, tuo *MESUE*, *PLATERO*,

RO, quamplurimiſque aliis non reluctor, lac *butyroſa* ſubſtantia nutrire, *ſeroſa* dulcificare, liquare, & ſalinum eluere, ac diſſolvere, quin & abſtergere ulcus, hocque *caſeoſa* conglutinare; inquiro tantùm, an verum ſit, *Caſeoſam partem, qua frigida, & humida eſt, conglutinare, an verò qua frigida, & ſicca*. Hoc ultimum innuere videtur *MESVES*. Y. *per ly virtute caſeitatis*, ſciebat enim, Caſeum terreſtris eſſe naturæ, ideoquè frigidæ, & ſiccæ: quod confirmat *SENNERTUS de Alim. Fac. lib.* 4 *part.* 1. *cap.* 3. *Butyrum oleoſæ, & calidæ eſt ſubſtantiæ, ſeroſa pars aquoſa quidem eſt, ſed tamèn ſalſi aliquid admixtum habens, ut acrimonia*, (addatur vis ſolvens, ſeu cathartica generali non ſtricto nomine ſumpto) *quæ in ſero eſt, ſatis docet. Caſeoſa verò eſt frigida, & ſicca, terreæque naturæ*. Si ergò identicè, & *notantèr caſeoſa pars ulcus conſolidat, & conglutinat*,

id

id perficit Virtute proprii temperamenti frigidi, & ſicci, *ergò quod frigidum, & ſiccum eſt Ulceri, & Phthiſi medetur*, non quod humidum, prout affirmaſti, ergo ſiccum convenit Ulceri, & Phthiſi, *ergò & China quià ſicca conveniet*, & non repugnabit. Itaquè verum non eſt, lac non conſentire cum China in cura Tabis, cùm non conferat illud ulceribus, quatenùs *humidum*, *& frigidum eſt*, ſed quatenùs triplici conſtat ſubſtantia, butyro, Sero, & Caſeo, iàm verò hic non conveniret, niſi ſiccaret (humidum enim ulcera potiùs exaſperat, ut quotidiè experimur in externis) quod unicè in Ulceribus abſterſis indicatur, Experientia id totum firmetur. Caſeus à lacte abſtrahatur, & quod reliquum eſt Tabidis offeratur, nunquàm Ulceris ſuccedet conglutinatio, fruſtràque expectabis. Pari ratione China in caſu non convenit, aut uſurpatur, quatenùs calida, ſed quatenùs ſicca;

ca;

ea ; quia verò electio ſiccantis ex Medici induſtria petitur , horum longa experientia inventum eſt , illam in Pulmonum ulcere ſummam operam præſtare.

§. XLV.

Nèc valeret inſtantia , lac operatur ſecundum totum, ſed ſecundum totum eſt frigidum, & humidum , ergò operatur ut frigidum humidum.

Quippè Reſponderem negando majorem , totius enim unio , & ſymmetria lactis in corpore diſſolvitur : & ſi quidèm operatur ſecundum totum, intelligitur, quatenus quælibet ejus pars in eodem ſubiecto , & paſſio ſua perfungitur activitate , & virtute habito reſpectu ad partium mixtionem , & ſymmetriam , qua ipſa ſoluta , ut neceſſariò fieri proximè dicebam, impoſſibile eſt, ut ampliùs operetur ſecundum totum.

§. XLVI.

Si obiiceretur, caſeum non ſiccare, quià nec lac; ut ſic, exiccat, Reſponſum eſſet denegandum ratione Petitionis principii; attamèn negarem ſuppoſitum, quià à toto ad partes conſequentia non tenet. Præthereà, ut Galenicis quoquè placeamus, lacti aſſimilatur ſanguis, cujus tetrantem diviſionem, & ſubſtantiam ut probaret ipſe *GALENUS*, plaudentibus *PHERNELIO*, *PLATERO*, Veteribuſque omnibus, ducto à ſimili argumento aſſeruit, quod ſicuti lac licèt unum continet butyrum, ſerum, & Caſeum, ità ſanguis contineat Bilem butyro, ſive flori, Pituitam ſero, & Melancholiam caſeo reſpondentem, horumque humorum, ut noſti, temperamenta conſtituit diverſa, ut ut ſanguinem ut ſic, & in abſtracto calidum humidum perpetuò vocitaverit. Quiſnàm mo-

modò Pituitam calidam humidam, aut talem Melancholiam nuncupaverit, quià ea est sanguinis secundùm se temperatura? Nemo sanus dixerit.

Non est ergò, cùr Ariannam iterum consulas, nàm hæc vis Adrasteas est; & si veritatem præoculis habens eam assequi recusas, *Aristotelicum* axioma verificari usu venit, quod *sensibile positum suprà sensum non facit sensationem*.

§. XLVII.

Colophonis loco jurè meritò negas, quæ *calida*, *& sicca sunt*; ℞. *non posse aridas partes humectare*, *nèc febrilem calorem compescere*, quià id per se loquendo certum est, per accidens verò nequaquàm; siquidèm quæ calida, & sicca sunt, possunt liquando succos eosdem disponere ad alimoniam, & humectare, ut suprà §. 33. ex *SENNERTO* relatum fuit, ac etiàm tollendo causam, fe-

febrilem calorem compescere ; sicuti Rhabarbarum calidum siccum tollendo, & evacuando bilem, febrim tollit, corpusque refrigerat, ut ut ex accidenti, quamvis indiscriminatim hoc opus illi tribuatur, quià causa causæ est etiam causa causati Peripateticis dictantibus. Sicquè à præmissis, annuentibus superis, expediti.

§. XLVIII.

Appendicem nuperrimè subsumptam superest, ut libemus, cujus amariora pocula dulcificare conabor. *Universalia*. b. *à singularibus* distingui navitèr incul. cas, *Temperamentorum*, *& Individuorum*. c. *differentias*, multasque extrinsecas denominationes interstinguis. Quid inde? Tot Auctorum Bibliothecæ Medicis voluminibus refertæ flammis erũt committendæ? Si quod illi ma-

xima cum doctrina, & labore conſcripſerunt, & tradiderunt, experiundum non eſt, quid ultrà legere, quid ſtudere proderit? Hi omnes in Univerſali loquuti ſunt, quià verò ſub eo ſingularia continentur, Dogmaticus Artifex pharmaca ſeliget idonea, futilibus Empirico, uti ais, relictis. In rem noſtram tua ratio non valet, nàm quidquid dicitur de Univerſali, dicitur de ſingulari, ex principio illo *dici de omni*, ità docet Logica, ſi ergò remedium in Univerſali prodeſt alicui morbo, eidem proderit in ſingulari; quòd ſi in hoc ſingulari ſubſit quidquàm correpugnans pharmaco, Induſtrius Medicus debet correctionem inſtituere.

Strictiùs. Remedia non debentur temperamentis, & ſingularibus, ut temperamenta, & ſingularia ſunt, ſed morbo, ut morbus eſt, ideòque Indicationes curativæ tàm *in Univerſali*, quàm *in Sin-*

gu-

gulari depromuntur *à morbo*, & *causa*, sed cùm horum utrumque in neutro illorum differat, concludendum est, Indicata à Causis, & Morbo tàm in Universali, quàm in Particulari eadem convenire. Verum quidèm est, ut suprà §. 15. recensui, quòd occurrunt aliquandò in praxi Res Naturales, & Non Naturales contrariantes principalem indicationem, in quo casu se gerere debet Medicus, ut ibidem dictum est, si necessitas urgeat.

§. XLIX.

Addere his non piget; minimè afficere, quòd *scriptores generalem curandi morbum Tabifico-Hecticum regulam*; b. & *auxilia tradiderint*, cùm ea nec Individuis dissona evadant; non enim incidunt in illam affectionem, *nisi ut plurimùm graciles, & calidi sicci, qui acribus, & salsis sca*

tent. humoris, quemadmodum. F. & tu inter externas causas notasti, & ii omnes intelligere possunt, qui plurium Auctorum perlustrant monumenta, aut fidelissimæ praxeos consulunt oraculum. *Quotidiana constat experientia*, inquit ETTMULLERUS, *succulentos aut obesos minùs evadere Phthisicos, benè autem macilentos, aut natura plùs minùs attenuatos* (qui verò sunt macilenti, & *natura* attenuati ex semejoticis multo calore, & siccitate præditi sunt,) *horum nempè sanguis minùs temperatus, minùs dulcis, minùs oleosus existit, adeòque minùs nutrit; è contra acrior, asperior, salsior esse solet, facilèque incalescens, undè tales minùs benè nutriri observantur*. Colligere ex his licet, Auctores, si macilentos calidos, & siccos ad hunc morbum proclives, ut probatum, cognoverunt, in remediorum *electione* ad horum texturam, & tem-

temperamentum paritèr respexisse; proindèque quæ huic statui, nostro Adolescenti simili, potissimùm conferrent, nobis inoffenso pede usurpanda reliquisse. Idque prætèr allata in § Superiori valeat etiàm pro *RIVERII*. f. *manutentione*.

§. L.

Ad *ZECCHIUM* modò descе[redacted]. *Hujus auctoritates*. d. *tuas facis*? Non laboro, ultròque hanc tibi paromologiam concedo: atquè si in citatis casibus Recentiorum dictis iste non accommodabatur, nec in *Illustrissima Domina Polisena acris*, & *salsa destillatio peccabat*. e; *quemadmodùm atro notasti carbone*, vitium tamèn erat saltèm à causa calida; sique capitis frigida, & humida in eadem Domina intemperies signabatur, memento, nostrum Dominum Josephum

humida paritèr capitis intemperie, dixerim potiùs, quàm temperie teneri, ſicuti capillorum paucitas, & uda extenſio demonſtrat, *quæ Chinæ uſum*, h. *admittere poteſt*. Recedat igitùr ab Aula, imò à Palæſtra *ZECCHIUS*, celebris alioquin Auctor, Vetuſtatis Galenicæ ſitu ſquallidus, noſtri ævi adveniente ſydere, Polyatro, inquam, *POMPEO SACCHO* Patavinę Cathedræ Decore, Lectoreque Primario, qui virtutum radiis coruſcans *in Conſ. 33. Pro Juvene annorum* XXV. *temperamenti calidi, & ſicci, habitus rari, ſanguinis tenuiſſimi, Hæmoptoico à ſalſa cum tuſſi deſtillatione* propter ſales acido-acres in fluidorum maſſa luxuriantes *Decoctum Chinæ* cæteris ex arte præſidiis aſſignatis, præſcribit in potu. Habet nè hic Caſus, qui nobis certè ſingulare Epænum exiſtit, cum quo diſputatur, analogiam? U-

trum-

trumque temperamentum calidum ſiccum, habitus utriuſque rarus, in florenti ætate ambo conſtituti, morbus ferè idem, à conſimili cauſa, ni auſim dicere, à *SACCHO* relatum eſſe majorem, tùm quià acrior calor proptèr ætatem, tùm quià aberat ulcus indicans exiccans. Itàque hic morbus magis eſt notandus, quàm cauſa *ZECCHII*. Plura ſi cupis, confer *Practicam Chriſtini de Tabe, Cent. 3. obſerv. 17. & ſequent.* ubi perleges hiſtorias tabis in calidis ſiccis, & delicatulis formulis unà *cum China* curatæ.

§. LI.

Philoſophi ſententia non magis tibi, quàm mihi accommodatur; g. non enim Unum medicamen ad omnes morbos determinatur, ſed

§. LII.

Unicus adhùc tibi ſupereſt receſſus, ſcilicèt, quòd *SACCHUS* ſeroſitates culpet ſalſas in ſuo caſu, pro quibus exiccandis Decoctum Chinæ aſſignet; in noſtro Caſu ſeroſitas inſons ſit omni vitio.

Hæc tamèn tergiverſatio nullius eſt momenti. Primò quià ſalia per te peccantia maximè ſolvuntur in ſero propter pororum conformitatem. Secundò quia in tua Conſultatione ità legitur. *Undè à ſalibus hiſce G. acribus, & ſilveſtribus in fluidis Nobiliſſimi Adoleſcentis exaltatis, & luxuriantibus tota humorum maſſa colliquatur, ſeroſique laticis ad vaſa pneumonica fit irruptio*. Poterit ità ſerum eſſe criminis omnis expers? Colliquati humores non abeunt in ſerum, ſive dicas lympham? Conſiſto, ſat alibi quoquè

hoc

hoc argumentum enodatum, cujus *solutio*. h. *fiet pro Peritissimo JO: FORTI.*

§. LIII.

Dolæus 1. *contradictione* non indiget (ficuti nec tu contrà *CLAVDINUM* , ac *ETTMVLLERUM* quidquàm attulisti) nèc ejus suffragia aliquid ponderis amittunt, cùm omnia à te adducta, in superioribus exiltant penitissimè confutata.

§. LIV.

Ad exiccationem serosæ colluviei Chinam conferre tandèm aliquandò confiteris ob suum *sal volatile*. K. *balsamicum*, iis verò tantùm naturis accommodare studes, quæ fermentorum patiuntur depressionem, cùm è contrà hæc eadem nimis exaltata habentibus valdè noxiam arbitraris. Equidèm aliud otium impendere

nolo in inquisitione naturæ hujus fermenti, tantùm dico, hæc te parùm rationabilitèr scribere, quià dicta exaltatio vel pendet à serosa colluvie, vel non, si primùm, ergò illa correcta, & temperata ex concessis etiàm per Chinam, remittetur quoque, & modificabitur exaltatio; si secundum, ergò illa consumpta non augebitur ista, quæ alii principio suam debebit excandescentiam, nimirùm aut succorum volatilitati salinæ, & acri, aut calori; neutro istorum cum serosa colluvie coniuncto offensa, & noxia existit China, quoniam ipsa naturis calidis, & gracilibus apprimè conformis creditur, & experitur, sicuti cætera calidiora ligna in Constitutionibus, & morbis frigidioribus usurpantur; & propterea cùm aliis alKalicis, & refrigerantibus maritata temperatur, & aptatur, cùm est exhibenda iis, qui humorum acredine

ne abbundant : Dictorum autèm ratio ab ejus qualitate desumenda est, qua calorem ultrà primum gradum non admittit, nec iccircò alienum valet intendere (non est enim sal ejus volatile oleosum bitumen illud, quod Ætnæ flammas alit) nec acredines augere potest, si easdem dulcificare §. 12. 17. 22. & alibi fuerit firmatum. Insuper si fermentorum exaltatio usquàm datur, procùl dubio in complexionibus biliosis reperitur, & tamen in hisce, serositate scatentibus, Chinam adhibet *SACCHUS*, ubi suprà §. 13. *part.* 79. *ejus Sistem. GERBEZIUS* §. 36. & præcipui alii Auctores. Plura legantur in tota hac dissertatione dispersim conscripta (animus enim non est crambem bis-coctam proponere) & præsertim quæ §. 35. litt. P. fuerunt congesta, quorum suppositio Chinæ principia librando, eam ab omni excessu vindicat.

§. L V.

Non levi tandèm ſum pudore ſuffuſus, intelligens, *te ſapientiſſimorum Virorum* ; l. *teſtimonia floccifacere*, potiſſimùm eorum, qui Primipili, tanquàm Medicinæ Antiſtites, & Coryphæi agmen ducentes extitere, quorum Polyonymia puſillam hanc æſtimationem, ni gratitudinem à nobis fœnerari, nefas eſt, cùm ab iis tot utiles quotidiè excerpamus experientias ; ſanè has abnegat, qui Auctoritates ſpernit : tu interim Stagiritæ ab Oraculo cave, nè te illis verbis increpet 8. *phyſ. Turpe eſt Experientiam propter rationem negare*.

§. L V I.

Quoniam verò *philoſophicis*, m. *rationibus adeò delectaris*, haſce meas qualeſcumque, *Veritatis*

tatis tantùm non contradictionis causa exaratas, Indicantium, & Contraindicantium legibus demissas, hilari excipere fronte, nè dedigneris; & si quæ argutè nimis obiiciantur, æqui boniquè consulas, etiàm atque etiàm rogo, *libertas enim in dicendo*, inquit *DEMOCRITUS* apud Stob. *ingenuitatis est signum*.

§. LVII.

Summa igitùr hæc est, *RADICEM CHINÆ IN PHTHISI, CONCURRENTE SIMUL PATIENTIS TEMPERAMENTO CALIDO SICCO, HABITVQVE GRACILI, LEGE ARTIS CASTIGATAM NON MODO NON OBESSE, VERUM ETIAM APPRIME UTILEM FORE, IDEOQVE FERE SEMPER CONVENIRE*: quòd nisi alio nomine satis probatum sit as-

ſumptum, ſaltèm (ut ſic deciſionis nucleum compræhendam) PRO VLCERIS EXICCATIONE FIRMATVM VOLO:

§. LVIII.

Supereſt-itàque, ut iàm iàm receptui canam, cùm et vacua Palæſtra ulteriorem tollat athleſim,

Et nimius videor, ſeraque Coronide longus
Eſſe liber.

Interim pro ſartis, tectiſque *Chinæ* viribus ſervandis diutiùs, nec fruſtrà inſudavero, ſi *Iaſonis* veſtigia premens expanſis *Rationum*, necnon *Auctoritatum* velis longiùs difficultatum omnium Mare Athlophorus transfretaverim, quare Phryxæo Veritatis, & Experientiæ vellere-potitus, vela contraham, cùm deceat tandèm ſilentii Portum appellere. Vale.

Da-

Dabam CARASSAI, Idibus Quintilis, 1697.

Domin. Tuæ Perillustris, admodumque Rev. & Excell.

Addictissimus Famulus

Regulus Antonius Tantius
Castignanensis.

APPENDIX.

VIr Clarissimus, multumque de re Medica benemeritus, *in eaque versatus* N. N., cui hæc, antequàm typis darem, amicabilitèr communicabam, nodosam mihi proposuit instantiam, eo quòd §. 26. scripsissem, acidùm tabificum non nisi pulmonibus esse singularitèr infensum, videlicèt quæ sit ratio, *cur aliquod miasma unam tantùm determinatam corporis nostri partem aggrediatur, & non aliam*, ut putà malignæ

An-

Anginæ laryngem ; Dyſenteriæ inteſtina , Pleuritidis pleuram ; Vomitus , & Choleræ ſtomachum ; Tabis Pulmones ? Cujus problematis, quod diù meum torſit, & torquet adhùc ingenium , enodatio altioris quidèm indaginis cùm ſit, quàm Intellectus mei tenuitate perquiri , & explicari valeat , perſpicaciſſimum Sophorum judicium exquirit : nihilominùs tamèn quæ rationi magis conſona videbuntur , in medium proferam , candidoque ejus , & aliorum ſubiiciam examini, quorum curioſitati, ac expectationi conor ſatisfacere. Ad ſolutionem igitùr rectà progredior.

CARTESIANI miaſmatis morboſi figuræ cum partis læſæ , aut lædendæ proportionata , vel improportionata textura id poſſent adſcribere , per quam configurationem atomorum , & ſalinorum corpuſculorum illud huic parti magis aptatur , quàm aliæ , ibi-

ibidemquè ſedem ſuam, & tyrannidem exercet, nèc aliò vagatur; undè vitiata ejus partis textura, vel organo à re-extranea, & heterogenea, illic morboſæ hydræ expullulant. *ETTMVLLERUS* eam reddet rationem, quòd ſi labes morbifica invadat ſpiritum influum, illique-uniatur, prout iſte hanc, illam, vel plures partes inficit, ſic vel iſta afficitur, vel alia: ſi verò occurrat, & aſſocietur ſpiritui inſito, cujus fortè particeps aliquandò erit, cùm hic determinetur ad partem cui ineſt, hanc ipſam affectat, ibidemquè morbos alit, non alibi. *MARCUS MARCI* cum ſuis obvìam veniet Idæis Operatricibus, quibus cum ſat ingeniosè noſtram poſſet componere-curioſitatem, ac-inſcitiam dedocere. Mihi tamèn arrideret magis *illorum opinio*, qui reſponderent, & prædictas ſententias conciliando firmarent, quòd prout labes miaſmatis ob quamdam ſym-

ſymboleitatem cum fluidis, vel cum eorum canaliculis, è quibus ſolidæ partes conſtituuntur, infligitur ſuccis, ſive nervoſis, ſive arterioſis, & venoſis, ſive lymphaticis, & glandularibus, aliiſque determinatæ partis alicujus *ſpecialibus*, fortaſsè propter ſpeciale in ea elaboratum ex iis fermentum, ſic in illam partem potiſſimùm determinatur ad morboſas Tragædias agendas, in quam ſuccus ille, aut fermentum ſuam exercet actionem, & operationem, atquè in cujus uſum maximè cedit, exigiturque à Natura. Ex quibus modò unuſquiſque non modò Inſtantiæ analyſim colligere paratum habet ſuper omnes morbos adductos, imò alios diſcurrendo, verùm etiàm Phthiſis geneſim facilè percipiet, ſi rectè judicet, acidum Tabificum ſive in, ſive extrà corpus occurrens primò figi in lympha, utpotè magis ſymbola, conſtante præter ſulphureas ex ſanguinis particulis

ſal-

falſis volatilibus, teſte *De Diemerbroeck in ſua Anatome*, quæ iccircò morbida facta, quod ex omnibus ſymptomatibus deducitur, circulans in propriis vaſis Pulmonalibus, horum ſuperficiem potiſſimùm intexentibus, ibi vel proptèr ductuum anguſtiam, longioremque moram, vel propter fibrarum teneritudinem, pororumque congruentiam aut aeris elaſticitatem, & effervescentiam ſuam primò inurit malitiam, illorum tonum labefactando, ſenſimque eamdemmet ſubſtantiam rodendo, & filamenta divellendo, hinc ſputum ſanguinis &c., dùm intèrim in ſubclavias, axillares, & jugulares depoſita, (in has enim omnes lymphæ canaliculi Pulmonum ſe exonerant demonſtrante *RVYSCH*) ſanguinem quoque inficit, ut exindè univerſa corporis machina compatiatur. Sic irrequieta circuitum reciprocatione novas Pulmonibus inferens noxas, penè immedicabile inquinamen-

mentum in ipſis dicta lympha confirmat.

Hæc præſenti Chirocleo, fortaſsè omni carens exergaſia, ad plenam Phthoe hiſtoriam aliquomodò conferentia, per parecbaſim lubens habui ſubnectenda; quæ ſi Eruditiorum palato inſulſa videbuntur, ignoſcant, ſuoque veniæ ſale reddant gratiora.

Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo dà gloriam.

FINIS.